

## ARTICULUS VII.

De oppositione propositionum  
compositarum.

Quando habeant  
oppositionem  
contradictoriam

139. Propositiones compositæ vel hypotheticæ singillatim sumptæ solam habent oppositionem contradictoriam. Nam cum variari nequeant secundum quantitatem, et singularibus proinde æquivalent, non aliam possunt subire oppositionem, præter eam, quæ provenit ex mutata qualitate. Ejusmodi autem propositiones, per qualitatis mutationem fiunt contradictoriæ, ut patet ex alibi dictis; quia nimirum nec veræ nec falsæ simul esse possunt, quæ lex contradictoriarum est.

Atqui qualitas propositionum compositarum non aliter mutatur, ex affirmativa in negativam, nisi præmissa toti enuntiationi negatione. Nam sola negatio initio præmissa copulam formalem afficit complexæ propositionis, quæ consistit in ipsa connexionem mutuoque vinculo vel consecutione partialium membrorum. Quocirca huic copulativæ: *Petrus currit et Paulus sedet*, contradicet per hanc: *Non et Petrus currit et Paulus sedet*, quæ præcise negat conjunctionem partialium propositionum. Pari modo huic disjunctivæ: *Vel Petrus currit vel Paulus sedet*, sic contradicetur: *Non vel Petrus currit vel Paulus sedet*. Item hujus conditionalis: *Si sol lucet, dies est*, hæc assignatur contradictoria: *Non si sol lucet, dies est*. Ac tandem causali huic: *Quia Petrus est homo, risibilis est*, hæc opponitur contradictoria: *Non quia Petrus est homo, risibilis est* (1).

Quomodo habeat  
oppositionem  
contrariam  
copulativæ,

At quoniam copulativa propositio enuntiat simultaneam veritatem omnium partium, si qualitas harum, vel omnium

*dens*: v. g. *Contingens est omne B esse A: ergo contingens est aliquod A esse B*. Secunda: *Universalis negativa non convertitur simpliciter, sed per accidens*: v. g. *Contingens est nullum B esse A: ergo contingens est aliquod A non esse B*. Tertia: *Particularis, tam affirmativa quam negativa, simpliciter convertitur, modo ejus dictum non sit in materia necessaria*. Quas regulas probatas atque ab oppugnationibus variis vindicatas, lege, si lubet, apud eosdem Conimbricenses, loc. cit. quæst. 2, art. 2. Cfr. Tolet. *Summul.* lib. 3, cap. 7.

(1) Lossada, Op. cit. disp. 7, cap. 5, n. 23-26.

vel saltem alicujus, ex affirmativa in negativam commutetur, efformabitur propositio alia copulativa priori contrarie opposita. Ut si in allato superius exemplo, verbalem copulam partium sic mutaveris: *Nec Petrus currit nec Paulus sedet*, vel sic: *Petrus non currit et Paulus sedet*; vel denique: *Petrus currit et Paulus non sedet*; habes totidem contrarias illi priori: *Petrus currit ac Paulus sedet*. Ratio, quia possunt falsæ esse, non autem simul veræ: quæ lex contrariorum est.

140. Disjunctiva pariter potest habere subcontrariam de lege, præmissa negatione vel singulis membris, aut saltem uni, quo pacto propositio illa: *Vel Petrus currit vel Paulus sedet*, subcontrarie opponitur huic: *Vel Petrus non currit, vel Paulus non sedet*; itemque hæc: *Vel Petrus non currit, vel Paulus sedet*, huic alteri: *Vel Petrus currit, vel Paulus currit, vel Paulus non sedet*.

Ratio, quia hæc solum pugnant in falsitate, non autem in veritate, cum possint veræ simul esse, non vero falsæ: quæ lex subcontrariorum est.


141. Conditionales et causales, si sub eadem conditione aut causa, altera affirmet, altera neget, contrariæ sunt de lege, quia possunt ambæ falsæ esse, non autem veræ, v. g. *Petrus si dives est, est doctus; si dives est, non est doctus: Petrus quia est logicus, est musicus; quia logicus est, non est musicus*.

conditionales et  
causales.

142. Jam si copulativam conferas cum disjunctiva de eadem materia et ex iisdem partibus conflata, videbis procul dubio eas ita se habere, sicut universalis et particularis. Copulativa enim, cum enuntiet omnium partium simultaneam existentiam, verificari nequit nisi verificatis singulis partibus, quemadmodum categorica universalis vera esse non potest, nisi prædicatum vere conveniat omnibus et singulis inferioribus, disjunctiva vero contenta est cum veritate unius tantum partis, quam ipsa non determinat, fere sicut locum habet in categoricis particularibus.

Copulativa ac  
disjunctivæ  
ex iisdem  
membris termi-  
nisque  
constantes,  
invicem  
combinatæ  
possunt habere  
omnes  
quatuor oppo-  
sitiones

Quamobrem componendo inter se copulativas et disjunctivas secundum ea quæ hactenus de iisdem notata sunt, confici potest tabella hæc oppositionum quæ inter illas vigent:



De oppositione propositionum exponibilium disputare necesse non est, cum omnes exponantur per aliquam ex aperte compositis (2).

Idem dic de æquipollentia et conversione propositionum compositarum, de quibus quiddam in medium afferatur, parum usus atque utilitatis potest habere (3).

## DISPUTATIO TERTIA

### DE TERTIA MENTIS OPERATIONE.

Devenimus tandem ad præcipuum modum sciendi nobilissimumque instrumentum, per quod humana mens omnium sibi fabricatur opificium scientiarum, quodque nomen sortitum est *ratiocinii* vel *discursus* aut etiam *argumentationis*, quamquam hæc vox solet sæpe applicari ad oralem discursus expressionem significandam. Oportet ergo summa diligentia et accurate tantum momenti tractationem aggredi (4).

(1) Fuse de his P. Casilius, *Introduct. in Arist. Logic.* lib. 2, tract. 2, cap. 2.

(2) Vide, si lubet, Tolet. lib. 3, cap. 9, seqq.; Casil. *ibid.* lib. 2, *Append.* cap. 1, 2.

(3) Videri potest de his Fonseca, *Inst. dialect.*, lib. 3, cap. 22.

(4) De his, quæ spectant ad tertiam mentis operationem rectamque formam discursus, agit Arist. in libris *Analyticorum*, *Topicorum* et *Elenchorum*. Nam in *Prioribus analyticis* agit de his, quæ spectant

## CAPUT I.

### QUID EST DISCURSUS VEL ARGUMENTATIO.

Ut natura hujus operationis, quantum attinet Logicam, patefiat, declarandum ante omnia est, quid sit *consequentia*: proprium quippe ratiocinii est ab una cognitione in aliam procedere ob connexionem ac necessitudinem, qua invicem colligantur veritates et rationes rerum intelligibiles.

#### ARTICULUS I.

##### Quid et quotuplex sit consequentia ejusque præcipuæ leges.

143. *Consequentia* seu *consecutio* est illatio vel fluxus unius ex alia, ut si dicas: *Petrus est homo: ergo rationalis: Si sol est, dies est.* Illud, ex quo aliud inferitur, vocatur *antecedens*, *consequens* vero illud, quod inferitur. Inter *antecedens* et *consequens* adest nexus ac relatio dependentiæ, vi cuius uno posito seu affirmato, alterum quoque poni seu affirmari necesse est: et ejusmodi connexio atque objectiva necessitudo, expressa per actum mentis ut per voces *ergo*, *igitur* et alias similes, proprie constituit *consequentiam*. Ejus plura vidimus in præcedentibus exempla, tum in propositionibus conditionalibus et causalibus, tum in conversione propositionum, in communis suppositionis resolutione, etc. Ex hac notione consequentiæ illud necessario colligitur, eam distinguere tum ab antecedente et consequente, non enim est propositio, sed nexus propositionum; tum etiam ab eorundem veritate, nihil quippe vetat inter falsas propositiones adesse

Definitio  
consequentie.

ad argumentationem generatim: in *Posterioribus analyticis* de argumentatione demonstrativa: in *Topicis* de probabili; et in *Elenchis* de sophistica.

nexum, ac deesse inter veras, quemadmodum jam alias monuimus. Ideo etiam consequentia non dicitur *vera* nec *falsa*, nam veritas et falsitas est dos propositionum.

Planum porro est connexionem illam, quæ consequentiam constituit, esse posse vel *physicam* vel tantum *logicam*: *physica* viget inter realitates distinctas, qualis adest v. g. inter effectum et causam; *logica* vero seu *metaphysica* inter varios conceptus objectivos ac notas intelligibiles unius ejusdemque objecti, penitus quoad rem ipsam identificatas, ut sunt ratio hominis et animalis in Petro.

Quotuplex  
consequentia:

Consequentiarum plures perhibentur species: *simplex* seu *immediata* dicitur illa, quæ nullo utitur medio vel argumento, qualis est consequentia ab universali ad particulare: atque idem censent multi de consequentiis inter æquipollentes propositiones existentibus, itemque inter conversam et convertentem, etc. E contrario *mediata* est illa, quæ medio utitur, et vocari propterea solet etiam discursiva vel rationalis, quia formalem continet discursum.

mediata et  
immediata,

Sed præcipue consequentia dividitur in *bonam* seu *legitimam*, et *malam* seu *notam*. Bona consequentia est illa, in qua antecedens revera connexum est cum consequente, seu est illatio fundata in connexionem antecedentis cum consequente quantum ad veritatem. Secus vero vitiosa vel notha erit, ut si colligas sic: *Petrus est homo: ergo est lapis*. Exempla vero legitimæ dedimus superius, ac porro dabimus.

bona et mala,

Hæc divisio, ut vides, non est univoca, sed æquivoca, vel analogica, quia consequentia vitiosa non est consequentia, sed externam tantum habet similitudinem consequentiæ, atque adeo abusive nomen illius usurpat. Quamobrem non est desumenda consequentia præcise a veritate propositionum antecedentis et consequentis.

Consequentia bona subdividitur in *formalem* ac *materialem*. Formalis est ea, quæ inest vi formæ, ita ut si simili modo ac sub simili terminorum dispositione in quavis alia materia alterum ex altero inferatur, semper vere futura sit consequentia. Materialis est ea, quæ tenet dumtaxat ratione subjectæ materiæ, in qua nimirum de facto antecedens connectatur cum consequenti: ita ut in alia materia sub simili forma terminorumque dispositione perperam unum ex alio

inferretur: v. g. *Petrus est substantia: ergo est animal*. Adest quidem hic consequentia, quia Petrus est substantia de genere animalium; sed est *materialis* tantum, quia similis modus ac forma concludendi non valerit in alia materia, ut in hac: *Lapis est substantia: ergo est animal*.

Spectata ratione connexionis inter antecedens et consequens, dividitur consequentia iterum in *necessariam* et *probabilem* vel *contingentem*, prout fundamento innitatur vel necessario atque infallibili, vel solum probabiliter ac fallibili. Probabilis est hæc: v. g. *Agricola tempestive serit: Ergo fructum colliget*.

necessaria  
et contingens:

Necessaria dispescitur in *metaphysicam*, *physicam* et *moralem*. *Metaphysica* est infruabilis per quamcumque potentiam, ut hæc: *Petrus est homo: ergo est animal*. *Physica* frustrabilis est der virtutem Dei, miraculum patrantis, v. g.: *Si huic igni applicetur stupa, comburetur*. *Moralis* denique frustrabilis est etiam absque miraculo, sed raro ac difficile frustrari solet. Exemplum: *Est mater: Ergo diligit filium suum*.

necessaria  
Potest esse vel  
metaphysica, vel  
physica  
vel moralis,

Necessaria vero potest iterum esse vel absoluta vel hypothetica seu tenens dumtaxat ex suppositione aliqua facta.

Hisce præstitutis, oportet præcipuas regulas exponere bonæ consequentiæ, non quidem materialis, sed formalis dumtaxat. Et ratio est, quia bonitas consequentiæ materialis cum decernenda sit ex subjecta materia, non spectat ad Logicam, sed ad peculiare alias disciplinas. Cumque Logicæ munus proprium sit formas ac regulas præscribere ad recte procedendum in quavis materia, non potest bonæ consequentiæ leges, quæ tantum habere debent usum in veritatis inquisitione, præterire.

absoluta vel  
hypothetica.

## § II.—REGULÆ GENERALES BONÆ CONSEQUENTIÆ.

144. **Regula 1.<sup>a</sup>** *In bona consequentia, ab antecedente sequitur consequens, id est ab affirmatione vel positione antecedentis recte proceditur ad affirmationem seu positionem consequentis: non vero vice versa.*

Regula 1.<sup>a</sup>

*Prima pars patet ex natura consequentiæ, cujus in eo est præcise vis, ut cum antecedente consequens connectatur;*

non autem connecteretur, si posito antecedenti, adhuc posset non poni consequens.

*Secunda pars* non minus patet, quia nihil vetat quominus mutua non sit connexio ac dependentia inter antecedens et consequens; sic effectus connectitur ac dependet a causa, non vero vicissim; homo connectitur cum animali, vivente ac substantia, ideoque illa infert, non vero e contrario.

2.<sup>a</sup> **Regula 2.<sup>a</sup>** *In bona consequentia ex negatione consequentis sequitur negatio antecedentis; non autem e contrario.*

*Prima pars* constat similiter ex indole consequentiæ: nam ubi adest consequentia, nequit stare antecedens sine consequente. Si ergo consequens non datur seu negandum est, signum est non adesse antecedens, seu negandum illud quoque esse.

*Secunda pars* similiter manifesta est, quia fieri bene potest, ut consequens stare possit suamque retinere veritatem independenter ab antecedenti; siquidem bona consequentia tantum postulat, ut ex hoc antecedente fluat consequens, non vero quod *solum* ex hoc fluat, quin possit fluere ex alio.

3.<sup>a</sup> **Regula 3.<sup>a</sup>** *Ex vero non sequitur nisi verum in bona consequentia; ex falso autem sive verum sive falsum (1).*

*Prima pars* probatur. Quia si verum est antecedens, affirmandum est; et si falsum est consequens, negandum pariter. Ergo si ex vero sequi falsum posset, staret antecedens sine consequente. Atqui in bona consequentia nequit stare antecedens sine consequente, ut vidimus in prima regula. Ergo.

Sed nota, cum negamus ex vero falsum sequi posse in bona consequentia, intelligendum esse principium secundum gradum necessitatis et connexionis, quam consequentia importat: ut si consequentia tenet tantum morali necessitate, falsum nequeat sequi moraliter; et si teneat physica necessitate, repugnet physice sequi falsum, non vero metaphysice: ac tandem si tenet consequentia necessitate metaphysica, repugnet absolute sequi. Sic ex hoc vero: *In Eucharistia adsunt species panis et vini*: colligitur falsum: *ergo est panis et vini substantia*.

(1) Vide Arist. lib. 2 *Prior.*, cap. 2, 3, 4; Cfr. Mauri in Paraphrasi in eum locum; Lossada *Dialectic.*, disp. 8, cap. 1, n. 7, 8.

*Secunda pars* in primis manifesta est pluribus exemplis: *Homo est lapis: ergo est substantia: Petrus currit: ergo existit: Omnis lapis est animal; sed omnis homo est lapis. Ergo omnis homo est animal.*

Et ratio est, quia non repugnat duo extrema A et B connexa esse inter se, licet aliquod illorum vel utrumque, per errorem identificaverit intellectus cum alio tertio extremo C; hæc enim ficta identificatio nequit destruere connexionem duorum illorum. Atqui identificatis A et B cum C necessario sequitur in bona consequentia identificatio A cum B ex identitatis principio. Ergo non repugnat ex falso antecedente verum consequens inferre.

Quod vero falsum quoque sequi possit ex falso, probatione non eget, quia si falsum nequit ex vero fluere, cum sæpe falsa conclusio in recta forma argumentationis inferatur, attribuenda necessario est falso antecedenti.

Nota autem verum non sequi ex falso absolute, nec cognitio ut tali, sed ex suppositione quod verum sit, quia si cognosceretur, ut falsum, nequiret mens procedere ulterius in discurrendo et inferendo. Itemque verum non sequitur ex falso per se et ex meritis falsi, quasi veritas dependeret ab ulla falsitate, cumque ea connexionem haberet; sed per accidens, ex influxu principii alicujus veri, quod mentem adigit ad conclusionem veram, supposito errore.

**COROLLARIUM.** In prima parte hujus regulæ fundatur usitatissimus ille modus arguendi ex absurdis. Quia enim falsum nequit ex vero sequi, ostendimus verum esse non posse id, unde falsa et absurda consequuntur.

4.<sup>a</sup> **Regula 4.<sup>a</sup>** *Ex necessario non nisi necessarium sequitur; at vero necessarium sequi potest sive ex necessario, sive ex contingenti sive etiam ex impossibili (1).*

*Prima pars.* Quia necessarium semper est verum, et impossibile semper falsum, contingens autem quandoque verum, quandoque falsum. Si ergo ex necessario in bona consequen-

(1) V. Arist., lib. 1. *Posterior.*, cap. 6. Cfr. S. Thom. ib. lect. 13, paragr. f. seqq.

tia sequeretur impossibile vel contingens, jam ex vero sequi posset falsum, contra præscriptum regulæ præcedentis (1).

*Secunda pars* etiam facile probatur. Nam cum ex falso verum sequi possit, nihil vetat, quominus ex eo quod aut semper aut aliquando falsum est, colligatur id quod semper est verum, nimirum ex impossibili aut consequenti necessario.

En exempla: *Omnis homo est lapis, ergo est substantia. Creatura existit: ergo creator existit:* in primo ex impossibili et in altero ex contingenti sequitur necessarium.

5.<sup>a</sup> **Regula 5.<sup>a</sup>** *Ex contingenti contingens vel etiam necessarium, nunquam autem impossibile sequi potest.*

*Prima pars* per se patet: ut si sic inferas: *Petrus ridet: ergo vivit.*

*Secunda pars* probata est in præcedenti regula.

*Tertia*, quia cum contingens possit esse verum et impossibile semper ac necessario sit falsum; si ex contingenti fluere impossibile, falsum ex vero sequi posset (2).

6.<sup>a</sup> **Regula 6.<sup>a</sup>** *Ex impossibile sequitur quodlibet, sive necessarium, sive contingens, sive aliud impossibile.*

*Prima pars* patet ex dictis.

*Secunda*, quia cum ex falso sequi possit verum, ex eo quod semper est falsum, poterit fluere id quod aliquando verum est.

(1) Dices fortasse ex necessario posse sequi possibile: quare non verum videri, quod ex necessario non possit sequi, nisi necessarium. Verum si in memoria revocaveris, quæ superius diximus de significatione *possibilis*, difficultas omnino cessabit. Nam possibile vel est necessarium vel contingens. Si ergo possibile quatenus æquivaleret contingenti, nequit fluere ex necessario, fluet tantummodo quatenus æquivaleret necessario. Ideoque stat firma regula quoad hanc primam partem.

(2) Dices: In hoc syllogismo: *Omne currens est homo: Sed omnis equus est currens. Ergo omnis equus est homo*, videtur consequens impossibile sequi ex antecedente contingenti.

Resp. Præmissæ syllogismi hujus, si seorsim sumantur, sunt quidem contingentes; si vero copulative sumantur, sunt impossibiles revera. Nam impossibile est *omne currens esse hominem*, si *omnis equus est currens*, et vicissim. Ergo revera non sequitur impossibile ex contingenti, sed ex alio impossibili. Vide Scotum in 2.<sup>a</sup> *Prior. Analyticor.*, quest. 2, ad 1.<sup>um</sup>

Præterea si sequi potest ex impossibili necessarium, a fortiori contingens.

*Tertia pars*. Nam sæpe impossibilia colliguntur in bona consequentia formaque argumentationis. Atqui ex dictis non possunt inferri sive ex necessario sive ex contingenti. Ergo reliquum est, ut sequantur ex alio impossibili. Exemplum: *Leo ratione utitur: ergo homo est:* (impossibilis): *ergo existit* (contingens): *ergo substantia est* (necessaria).

7.<sup>a</sup> **Regula 7.<sup>a</sup>** *Quidquid stat cum antecedenti, stat cum consequenti; non tamen e converso, quidquid stat cum consequenti, stat etiam cum antecedente.*

Aliis verbis: *Quidquid vere enuntiatur de antecedente, potest etiam convenire consequenti; sed non vicissim;* v. g. in hac consequentia: *Est homo: ergo est animal;* stat cum homine quod sit *rationabilis, risibilis, bipes*. Ergo hæc eadem prædicata non repugnant animali, sed possunt eidem convenire. Contra vero, stat cum animali quod sit *quadrupes, cornutum, rugibile* etc.: quæ tamen nequeunt enuntari de homine.

*Prima pars* probatur. Secus enim ex vero sequi falsum posset. Etenim quidquid stat cum antecedente, relinquit intactam veritatem illius; quod vero non stat cum consequente, falsificat illud. Aliunde vero quidquid stat cum antecedente, non destruit consequentiam bonam, seu connexionem illius, cum consequente. Ergo si verum non foret, quod præcipit prima pars hujus regulæ, ex vero sequeretur falsum.

*Secunda pars*. Quia si quidquid stat cum consequenti, necessario staret cum antecedenti, veritas consequentis necessario postularet veritatem antecedentis in bona consequentia, seu non posset verum ex falso inferri, seu affirmatio consequentis traheret antecedentis affirmationem: quæ omnia sunt contra jam statutas regulas.

8.<sup>a</sup> **Regula 8.<sup>a</sup>** *Quidquid repugnat consequenti, repugnat antecedenti, non vero vice versa.*

Vel ut alii enuntiant: *Ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis; verum ex opposito antecedentis non semper sequitur oppositum consequentis.*

Ratio, quia ex negatione consequentis colligitur semper negatio antecedentis, non autem vicissim; quemadmodum ostensum est in 2.<sup>a</sup> Regula.

9.<sup>a</sup> **Regula 9.<sup>a</sup>** *Ex quocumque inferitur antecedens, inferitur consequens; et quicquid sequitur ex consequenti sequitur etiam ex antecedenti.*

*Prima pars etiam enuntiatur hoc modo: Quidquid antecedit antecedens, antecedit et consequens; sit v. g. hæc consequentia: Est animal: ergo est vivens. Si ex homine sequitur animal in bona consequentia, etiam ex eodem homine sequetur vivens.*

Ratio est, quia ubi non est vivens, non est animal ex regula 2.<sup>a</sup>, seu nequit esse antecedens animal sine consequente vivens. Jam si ex antecedenti antecedentis homo posset non fluere consequens vivens, posset esse sine illo. Atqui non potest, quia est antecedens animalis, et hoc nequit esse sine vivente.

Aliis verbis, si ex *B* sequitur *C*, et *B* sequitur *A*, ex *A* necessario sequitur *C*: quia *B* nequit esse absque *C*, si hoc ex illo fluit. Atqui *A* nequit pariter esse sine *B*, si est hujus antecedens. Ergo similiter *A* nequit esse sine *C*.

*Secunda pars* patet ex prima, imo non est nisi ejusdem regulæ repetitio sub alia forma. Nam consequens respectu alterius, quod ex eo fluit, rationem habet antecedentis: quare primum antecedens respectu hujus novi consequentis se habet tamquam antecedens antecedentis.

Ejusmodi consequentia usus est M. Augustinus (1), cum hæc scripsit: *Maria unde? Ex Adam. Adam unde? de terra. Ergo et Maria de terra. Si autem Maria de terra, agnoscamus, quod cantatur: Veritas de terra orta est.* Atque in hac regula fundatur argumentatio illa, quæ apud Philosophos nomen obtinuit *sortitis*, aut de *primo ad ultimum*.

10.<sup>a</sup> **Regula 10.** *Ex affirmatione notionis inferioris sequitur affirmatio notionis superioris in eodem prædicamento; non vero e converso. At a negatione superioris sequitur negatio inferioris, non tamen vice versa.*

Revoca in mentem, notiones universales vocari superiores respectu minus universalium ejusdem prædicamenti, quæ dicuntur inferiores. Quare juxta hanc regulam recte sic colligitur: *Est homo: ergo animal*: non autem e contrario. Recte

(1) Serm. 189 (al. 35) de diversis.

etiam sic: *Non est animal: ergo non est homo*: non tamen vicissim.

Et ratio est in promptu, quia in quolibet prædicamento notio universalior pertinet ad essentiam inferioris, seu includitur in ejus comprehensione. Quare nequit stare inferior sine superiore. At vero inferior cum aliquid habeat adjunctum superiori, non pertinet ad hujus essentiam: poterit ergo superior stare sine inferiori.

**Regula 11.** *Ab esse ad posse, vel ab actu ad potentiam valet consequentia; non tamen semper e converso.*—Patet per se, 11.<sup>a</sup>

**Regula 12.** *A non posse ad non esse valet illatio; sed non semper a non esse ad non posse.*—Patet etiam. Alias regulas vide, si vis, apud auctores (1); hæc autem præcipuæ sunt ac sufficiunt in præsentiarum. 12.<sup>a</sup>

### § III.—REGULÆ SPECIALES CONSEQUENTIARUM.

145. Regulas consequentiæ plures innuimus, atque ostendimus, cum sermo esset de resolutione suppositionis communis, de æquipollentis, conversionibus atque oppositionibus: in omnibus siquidem hisce rebus totidem cernuntur exempla consequentiarum.

Aliæ plures speciales regulæ possent hic exponi circa consequentias bonas rectosque modos inferendi vel argumentandi sive in definitione, sive in expositis suo loco terminorum proprietatibus etc. Sed illas omitimus, tum quia facile quisvis illas, cum opus erit, derivare poterit ex iis, quæ de singulis hisce rebus hactenus disputata sunt, tum quia veremur, ne multitudine minorum legum præceptorumque potius obruantur, quam juventur tyronum mentes, aut etiam ab alacri studio scientiarum in ipso limine Philosophiæ deterreantur (2).

(1) Vide Fonseca, De Benedictis, Casil., vel Javellum in *Logica* tract. 9, qui fuse de his.

(2) Si cui tamen libeat illa etiam, singillatim exposita, videre, adeat Fonseca, aut Toletum, aut Joannem a S. Thoma, aut Joan. Bapt. De Benedictis, aut Ludovicum de Lossada etc.

## ARTICULUS II.

## De ratiocinio et argumentatione.

146. Diximus in articulo præcedenti, duplex esse genus consequentiarum, alterum *immediatum*, alterum *mediatum*, quodque discursum continet. Relictis consequentiis prioris generis, ad mediatas nunc animum convertimus, in quibus intellectus ab una veritate cognita progreditur ad aliam cognoscendam. Et ejusmodi progressio nomen sortita est *discursus*, *ratiocinationis* vel *ratiocinii* et *argumentationis* (1), quamquam argumentatio sæpe sumitur pro externa manifestatione ratiocinii ac discursus in animo latentis.

Quid sit discursus.

Discursus vel ratiocinatio *motum quemdam nominat*. *Omnis autem motus est de uno priori in aliud posterius. Unde discursiva cognitio attenditur, secundum quod ex aliquo prius noto devenitur in cognitionem alterius posterius noti, quod prius erat ignotum* (2).

Processus vero hic ab una in aliam cognitionem, ut observat Angelicus, duplex esse potest: *unus secundum successionem tantum, sicut cum postquam intelligimus aliquid in actu, convertimus nos in aliud; alius discursus est secundum causalitatem, sicut cum per principia pervenimus in cognitionem conclusionum* (3).

Inter duos hos discursus discrimen est, quod in primo diversæ illæ notiæ non alium ordinem habent inter se, quam temporis et successionis; in altero autem alia ex alia vere causatur, alia in aliam influit, alia ab alia vere dependet (4). Ideo «ex communi Philosophorum usu solus discursus secun-

(1) Ratiocinari... est procedere ab uno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam. S. Thom. 1. p. 79, a. 8, in corp.; de Veritate, q. 8, a. 15.

(2) S. Thom. 1. p., q. 58, a. 3, ad 1.<sup>um</sup> Cfr. 1.<sup>o</sup> Contr. Gent., cap. 57, Præterea, omnem motum.

(3) 1. p., q. 14, a. 7.

(4) S. Thom. loc. cit.; et 1.<sup>o</sup> Contr. Gent. cap. 57, Amplius, in omni scientiâ; Conimbric. Dialect., lib. 1. Prior. Analyt., cap. 1, q. 2, a. 1.

dum causalitatem hoc nomine censeatur, alius vero infrequenter et solum *secundum quid* tantum discursus nuncupatur» (1).

Maneat ergo firmum, ad discursum non modo plures requiri cognitiones pluraque judicia, sed etiam ut unum ex alio procedat, colligatur ac determinetur in mente nostra (2). Unde recte

Definitur discursus vel ratiocinium ea mentis operatio, qua ex una vel pluribus varitatibus cognitis ad aliam cognoscendam provehimur propter earumdem connexionem: vel, si mavis illum cum Cicerone definire, est *ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit* (3). Idemque exprimitur per illam aliam S. Augustini descriptionem, secundum quem ratiocinatio est *a certis ad incertorum indagacionem nilens cogitatio* (4).

Definitur discursus.

Radix hujus operationis in intellectus nostri imbecillitate posita est. *Cum enim intellectus humanus exeat de potentia in actum, similitudinem quamdam habet cum rebus generabilibus, quæ non statim perfectionem suam habent, sed eam successive acquirunt. Et similiter intellectus humanus non statim in prima apprehensione capit perfectam rei cognitionem; sed primo apprehendit aliquid de ipsa, puta quidditatem ipsius rei, quæ est primum et proprium objectum intellectus, et deinde intelligit proprietates et accidentia et habitudines circumstantes rei essentiam. Et secundum hoc necesse habet unum apprehensum alii componere et dividere, et ex una compositione et divisione ad aliam procedere, quod est ratiocinari* (5).

Causa hujus operationis in mentis nostræ imbecillitate posita est.

Enimen ex ingenii nostri hebetudine sæpissime fit, ut proposito nobis aliquo enuntiabili, hæreamus, nec prius, quid de ipso pronuntiandum sit, constituamus, quam mentem subeat cogitatio alia et judicium seu inventum, quod

(1) Conimbric. ibid.

(2) S. Thom. loc. cit., et 1. p. q. 14, a. 7; Cajetan. in 1. p., q. 58, a. 3; Molin. in 1. p., q. 58, a. 3; Vazquez, in 1. p., disp. 223, cap. 3; Ruiz de Montoya, De Scient. Dei, disp. 14, sect. 2; Conimbric., loc. cit.; Izquierdo, Phar. scient., disp. 2, q. 5, etc.

(3) Academicor. lib. 2, c. 8.

(4) De Immortalit. anim. cap. 1, n. 1.

(5) S. Thom. 1. p., q. 85, a. 5. Cfr. de Verit., q. 8, a. 15.

propter suam cum illo enuntiabili necessitudinem nos possit ad assentiendum vel dissentiendum permovere. Inventum ejusmodi vocatur *ratio*, *medium*, et etiam *argumentum*: *ratio*, quia rem ostendit intellectui; *medium*, quia est velut instrumentum, cujus ope inducitur mens ad conjungendum in conclusione terminos; *argumentum* denique, quia rem patefaciens, intellectum arguit et convincit, atque ad assensum vel dissensum perducit. Ideo definiri argumentum solet: *inventum aliquid ad faciendam fidem* (1).

(1) *Argumentum*, inquit Aquinas, *proprie dicitur processus rationis de notis ad ignota manifestanda, secundum quod dicit Boetius (ex Ciceron. Topic. 221) quod est ratio rei dubia faciens fidem. (De differentiis topic. lib. 2, cap. 2.) Et quia tota vis argumenti consistit in medio termino, ex quo ad ignotorum probationem proceditur: ideo dicitur ipsum medium argumentum, sive sit signum, sive causa, sive effectus. Et quia in medio termino vel in principio, ex quo argumentando proceditur, continetur virtute totus processus argumentationis, ideo tractum est nomen argumenti ad hoc, quod quælibet brevis prælibatio futuræ narrationis dicitur argumentum; sicut in epistolis Pauli, singulis præmittuntur argumenta. Et quia principium vel medium dicitur argumentum, in quantum habet virtutem manifestandi conclusionem, et hoc verius inest ei ex lumine intellectus agentis, cujus est instrumentum, quia omnia quæ arguuntur, a lumine manifestantur (ut dicitur Ephes. V), ideo ipsum lumen, quo manifestantur principia, sicut principis manifestantur conclusiones, potest dici argumentum, ipsorum principiorum. (3.<sup>a</sup> dist. 23, q. 2, a. 1 ad 4.<sup>m</sup>)*

Paulo aliter S. Bonaventura: *Proprie quidem, inquit, argumentum accipitur secundum quadruplicem acceptionem. Nam uno modo dicitur argumentum ratiocinatio: alio modo dicitur argumentum prolixæ sententiæ brevis collectio: tertio modo dicitur argumentum ipsum medium, in quo consistit tota vis argumentationis: quarto modo dicitur argumentum ipsa maxima propositio, in qua consistit firmitas totius illationis. In omnibus tamen his acceptionibus, argumentum dicitur, quia mentem arguit et illuminat ad aliquid intuentium, et ei firmiter adhaerendum. (3.<sup>a</sup> dist. 23, art. 1, q. 5 ad arg. 2.<sup>m</sup>)*

Ex his videtur colligi, secundum duos hos clarissimos Ecclesiæ Doctores, *argumentum* et *medium* quoad rem ipsam pro eodem sumi; et ita etiam sentiunt Fonseca (lib. 6, *Inst. dialect.* cap. 1, et 6; lib. 7, cap. 9), De Benedictis, alique. Non autem desunt, qui contra opinentur, latius patere asserentes *argumentum* quam *medium*, *argumentum* quippe est inventum ad faciendam fidem idoneum; *medium* vero proprie ac stricte videtur esse terminus, qui ponitur in antecedente, et non ingreditur nec potest in recta argumentatione conclusionem ingredi. Ex quo sequitur etiam discordia eorumdem

Hinc facile capies, cur cognitio per discursum dicatur et sit *mediata*, quia nimirum utitur *medio* seu *argumento*. Ut vero ne decipiaris in rei hujus intelligentia, scito duplex distingui *medium*, aliud *in quo*, aliud *ex quo*; non enim perinde est, cognoscere aliquid *in alio* et cognoscere *ex alio*. *Medium in quo* est id, in quo aliquid relucet, *medium vero ex quo* est id, quod prius in se cognitum, facit nos aliud cognoscere, quod prius ignorabamus. Ita Beati dicuntur videre creaturas *in essentia divina*, ac partem videmus *in toto*, vultum nostrum aliave objecta *in speculo*, tamquam *medio in quo*; sed Dei existentiam cognoscimus *ex creaturarum existentia*, animæ immortalitatem *ex spiritualitate*, spiritualitatem *ex actibus* sive intellectus sive voluntatis, tamquam *medio ex quo*.

Cum ergo cognitio discursiva dicitur *mediata*, intelligitur habere *medium ex quo*, non vero *in quo* dumtaxat. Et ratio est, quia cognoscitur unum *in alio* per unicum simplicissimum actum absque ullius generis discursu; cognitio vero discursiva implicat plures distinctos assensus, quorum unus respicit objectum non satis intellectui luce propria refulgens, quod proinde illuminari ab alio debet, ut valeat cognosci.

*Differt*, inquit S. Thomas, *cognoscere aliquid in aliquo et aliquid ex aliquo. Quando enim aliquid in aliquo cognoscitur,*

AA. circa nonnullas consequentias: qui enim *argumentum* prorsus identificant cum *medio*, negant consequentias conversionum, æquipollentiarum et resolutionum communis suppositiōnis veras esse *argumentationes*, sed simplices atque immediatas consequentias, qui videlicet non habent *medium distinctum*, atque adeo neque *argumentum*, *argumentatio* autem non est sine *argumento*. Ita inter alios Fonseca (loc. cit. lib. 6, cap. 1); Conimbric. (lib. Prior, cap. 1, q. 2, a. 3.); et De Benedictis (Log. lib. 1, q. 1, cap. 5). Alii vero e contrario censent, in consequentiis conversionum etc., non desse *argumentum* seu *inventum* ad faciendam fidem idoneum, licet non adsit verum *medium*, nam revera quicumque antecedens considerat, ad inferendum consequens inducitur. Ergo adest etiam ibi *argumentatio* veri nominis, cum vere una veritas ex alia cognoscatur propter earumdem connexionem. Vide Lossada (*Dialect.* disp. 8, cap. 2, n. 5, 6). Cfr. Tolet. (*Summul.* lib. 4, a. 1); et Joann. a S. Th. (*Illustrat.* in *Summul.* q. 8, a. 2), qui consequentiam et argumentationem penitus identificant. Sed controversiæ iste sunt de voce, quibus diutius non est insistendum.

Discursus  
est cognitio  
mediata.

Medium in quo  
et medium ex  
quo.